



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 521. Qualiter tollatur irregularitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

pariformiter quò ad singula, sed juxta rerum naturam, ita ut carentia Ordinis, quam inducit ex hoc capite ipso jure incuratur, privatio verò beneficiorum acquiritorum plerumque exoptulet sententiam Judicis, ut Suar, & Castrop. *ll. cit.* Covar. *l. c. p. 2. §. 3. n. 6.* Salcedo *in sua pract. c. 94.* Tametsi autem beneficiatus incidens in irregularitatem ex delicto non teneatur se privare suo beneficio, sed illud retinere possit, usque dum per sententiam privetur, teneatur tamen procurare dispensationem, & interea satisfacere per alium oneribus seu actionibus, quæ ratione irregularitatis illi sunt prohibita; Castrop. *n. 11.* non enim est illicitum est assumere coadjutorum pro aliquo tempore ex tam gravi causa, ut idem cum Suar. *l. c. n. 19.* Navarr. *L. 5. conf. 17. de homicid.* non tamen retinere potest beneficium, cui Sacer. Ordo annexus, quem ipse per se exercere nequit, si est in mora petendi dispensationem, vel desperat, dispensationem obtinendam brevi tempore. Avil. *p. 7. d. 2. du. 6. vers. hinc sequitur.* Bonac. *de irreg. d. 7. p. 4. n. 10.* Laym. *L. 1. tr. 5. p. 5. c. 1. coroll. 3.* Cón. *d. 17. du. 1. n. 5. &c.* Possè quoque irregularem ex delicto, si nolit vel non possit impetrare dispensationem, beneficium resignare in favorem, ac si nullam irregularitatem contraxisset etiam pendente accusatione, eò quòd, quousque accedat sententia, & condemnetur, retineat jus in beneficio, docent Abb. *in c. nisi cum pridem. de renunc. n. 1.* Felin. *in c. inquisit. de accus. col. 3.* Gom. *in reg. de annal. possess. q. 42. n. 3.* Suar. *d. 40. S. 2. n. 19.* Castrop. *l. c. num. 15.* idque etiam non obstante, quòd alius durante accusatione super irregularitate impetret beneficium irregularis, casu quo quis per sententiam illo privetur, & irregularis sit conscius hujus impetrationis, cum in hoc nullam fraudem committat, quia utitur jure suo. Ita Mol. *tr. 3. de just. d. 78. n. 2.* cui inharere videtur Castrop. *n. 16.* De cætero licet irregularis ex delicto homicidii voluntarii ex Decreto Concil. Trid. *Sess. 14. c. 7.* privandus veniat beneficiis obtentis, non tamen pensionibus, sed harum privatio relinquatur Judicis arbitrio, spectatà delicti qualitate, ut decisum à S. Congreg. Cardinalium interpretum Trid. Riccius *decis. 524.* Barb. *in cit. loco. Trid.* Suar. *cit. d. 44. S. 4. n. 34.* apud Castrop. *l. c. n. 12.* Sed neque privandus per sententiam fructibus beneficii, si munera, quæ ratione beneficii tenebatur exercere, exercuit per se vel alium, cum jus habeat percipiendi illos posito muneris exercitio. Suar. *d. 40. S. 2. n. 10.* Filliuc. *tr. 19. n. 69.* Laym. *l. c.* Neque quis ob supervenientem irregularitatem privatur jurisdictione ad forum contentiosum pertinente, unde poterit adhuc excommunicare, eligere, beneficia conferre, assistere matrimonio, si parochus est. Cón. *d. 18. du. 1. n. 7.* Laym. *l. c. coroll. 2.* Filliuc. *l. c. n. 74.* Suar. *l. c. S. 2. n. 12. & 24.* Bonac. *cit. p. 4. n. 12. & 17.* Castrop. *n. 14.*

Quæst. 521. Qualiter tollatur irregularitas?

I. R. Esp. tametsi passim DD. tradant irregularitatem tolli triplici viâ, nimirum baptismo, professione religiosâ & dispensatione; per baptismum tamen re rectè consideratâ nullam tolli irregularitatem bene dicit Castrop. *l. c. p. 7. n. 1.* eò quòd nulla irregularitas baptismum antecedit, quippe introducta jure ecclesiastico, quod nullam vim habet in eos, qui extra ecclesiam sunt, quales sunt non baptizati, sint etiam aliqui defectus contracti ante baptismum, qui post illum remanentes bapti-

zatum constituunt irregularem, v. g. bigamia ante baptismum contracta, cæcitas post baptismum perstans, illegitimitas (utpote quæ per baptismum non aboletur) infamia, intellige juris, quæ ex sententia condemnatoria procedit, estque perpetua, & non facti ex facto ante baptismum commissio orta, quam post & per baptismum aboleri, cum per illum perfectè deleatur peccatum, adeoque & infamia illi annexa, sentiunt Sayr. *thes. L. 7. c. 13. n. 2.* Henriq. *L. 14. c. 7. n. 2.* Laym. *l. c. c. 6. n. 8.* Castrop. *l. c.*

2. Professione religiosâ seu emissionem votorum in religione approbata irregularitatem ex defectu natalium contractam in Ordine ad suscipiendos Ordines tolli, docent Suar. *d. 41. S. 1. n. 3.* Sanch. *de mat. L. 7. d. 86. n. 4.* Sayr. *l. c. n. 9.* Majol. *L. 5. c. 51. n. 13.* Laym. *l. c. c. ult. in fine.* Castrop. *l. c. n. 2.* Henriq. *l. c. Nav. c. 27. n. 20.* Arg. *c. 1. de filiis presbyr. juncto c. fin. eod.* & ibi Gl. *fin.* manent tamen eorum inhabilitate ad dignitates & Prælaturas, ut iidem AA. quamvis etiam religiones omnes privilegium habere, ut patientes defectum natalium promoveri possint ad prælaturas, testetur Sayr. *l. c.* & habetur in nostris privilegiis, *v. dispensatio. §. 2.* independenter tamen à privilegio, quod concessum Præposito generali Societatis pro foro conscientia relaxandi quamvis irregularitatem etiam ortam ex bigamia & homicidio voluntario, item concessum mendicantibus à Martino V. teste Rodriq. *Tom. 1. qq. reg. q. 24. a. 12.* Nisi irregularitas orta ex homicidio voluntario sit notoria, per religionis ingressum tolli exceptâ bigamiâ, sine fundamento asseri à Soto. *in 4. dist. 25. q. 1. a. 3.* advertunt Sanch. Laym. Sayr. cæterique paulò ante citati AA. *ll. cit.*

3. Dispensatione tollitur quæcunque irregularitas per Summum Pontificem, utpote ab eo ortum habens, etsi rariùs in irregularitate bigamiæ propriè talis, cum ea descendat ex apostolica traditione, & homicidii voluntarii dispensare solet, estque dispensatio ab eo facta sine causa valida (cujus contrarium est in dispensatione facta ab inferiore) non tamen licita. De cætero potestatem dispensandi in qualibet irregularitate jure ordinario competere Episcopo, quando Papa eam sibi non reservavit, non rectè argui ex *c. nuper. de Sent. excom.* ubi: quòd, quando conditor Canonis absolutionem ab excommunicatione non reservavit specialiter sibi, eam aliis concessisse censetur, ostendit Castrop. *l. c. n. 4.* cum Suar. *d. 41. S. 2. n. 3.* hæc adductâ ratione disparitatis, quòd absolutio ab excommunicatione maximè necessaria salutis fidelium, cum ea impediatur Sacramentorum receptionem, Suffragia Ecclesiæ fidelium inter se, hæc autem in irregularitate non procedant, utpote quæ solum impedit Ordinum susceptionem & usum ad salutem non necessarium, ac proinde potiùs contrarium dicendum, nimirum quòd, quoties dispensatio in irregularitate concessa non est, ea reservata sit Papæ. Porò ut potestas dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientes, & ad forum contentiosum non deductis, exceptâ proveniente ex homicidio voluntario, concessa Episcopis à Trid. *Sess. 24. c. 6. de reform.* exerceri ab illis possit, requiritur

4. Primò: ut dispensandi sint ordinariæ illius jurisdictioni subiecti, quales non sunt respectu illius subditi Archiepiscopi, uti nec respectu hujus subditi suffraganeorum, utpote quorum superior non est, nisi in causis ad eundem per appellationem devolutis. *c. duo. & c. pastoralis. de offic. Ordinar.* vel dum denegata subditi suffraganci ab-

lutione

lutione, hi pro ea recurrant ad Metropolitanum, Henriq. l. 4. c. 13. n. 3. Avil. de irreg. d. 10. du. 6. notab. 2. concl. 1. Sanch. l. 4. in decal. c. 32. n. 12. Castrop. n. 6. Quod ipsi licet Henriq. & Avila extendant ad tempus, quo Metropolitanus visitat diœcesin suffraganei, ita ut is tunc dispensare possit cum subditis suffraganei in irregularitate eorum, rectius tamen id negant Suar. de cens. d. 41. f. 2. n. 12. Sayr. in clavi reg. l. 6. c. 11. n. 80. Sanch. in decal. l. 2. c. 11. n. 6. Castrop. l. c. n. 6. cum id nulli concessam metropolitanam, etiam si ei concessa potestas pro tunc absolvendi subditos suffraganeorum, c. fin. de censibus, in 6. Nomine autem Episcopi in Trid. pro dispensationibus sciendis non venit Vicarius illius generalis, nisi specialiter ei concessa hæc potestas, Castrop. n. 7. Sanch. l. 2. de mat. d. 40. n. 11. citatis aliis. Neque etiam Prælatus regulares respectu religionum sibi subditorum, quia non habeat diœcesin, quod, ut fruatur hoc privilegio, requirere videtur Trid. dum dicit: *Episcopis in sua diœcesi*. Sanch. de mat. l. 8. d. 2. n. 3. unde teste Rodriq. qq. reg. Tom. 1. q. 6. a. 9. Pius V. in motu quodam proprio hanc facultatem Trid. absolvendi & dispensandi extendit ad Prælatos regulares, etiam locales religionum exemptorum respectu suorum religionum, unde hi poterunt quo ad hoc cum suis subditis in foro conscientie, quod possunt Episcopi virtute Trid. ut probat Rodriq. l. c. Suar. Tom. 4. in 3. part. d. 30. f. 2. n. 7. Sanch. in decal. l. 2. c. 11. n. 7. Veniunt tamen nomine Episcopi Capitulum sede vacante, utpote succedente in iis, quæ competunt Episcopo jure ordinario speciali ut Abb. in c. verum de foro compet. n. 9. Felin. in c. cum te. de re script. num. 17. Sanch. de mat. d. 2. n. 10. Hæc autem potestas dispensandi in irregularitatibus & absolvendi à quibuscunque casibus occultis competit Episcopo jure ordinario, & non tanquam sedis Apostolicæ delegatis, ut Sanch. Castrop. l. c. cit. Idem comperit Abbatibus aliisque Prælati habitibus propriam diœcesim, in qua exercent jurisdictionem quasi episcopalem independenter ab Episcopo, Sayr. in clavi reg. l. 6. c. 12. n. 83. Avil. l. c. d. 20. du. 6. cum hæc potestas contenta in Trid. utpote beneficium Principis sit, latè interpretanda, & hi Prælati non differant nisi consecratione ab Episcopis, qui etiam non consecrati id possunt, ut Sanch. de mat. l. c. Suar. d. 41. f. 2. n. 7. Nomine subditorum in dicto decreto veniunt, qui in diœcesi Episcopi habent domicilium stabile, etsi partiale, utpote habentes quoque aliud in alia diœcesi. Sanch. in decal. l. 2. c. 11. n. 8. Castrop. n. 8. item ex recepta sententia, qui majore tantum parte anni in diœcesi commorantur, ut Sanch. de mat. l. 3. d. 23. n. 11.

5. Requiritur secundò videtur ad usum facultatis dispensandi in irregularitate concessæ Episcopo per Trid. ut eam exercent in sua diœcesi, ut vult Bonac. de irreg. d. 7. q. 5. p. 1. n. 5. Verùm dictis verbis: *in diœcesi sua*: non videtur limitare consilium ad exercendam eam tantum in sua diœcesi, quia aliàs clarioribus verbis usum fuisset, dum inhibuit Episcopis exercere pontificalia in aliena diœcesi, & præterquam quòd verba illa non addiderit, cum loqueretur de dispensationibus, sed tantum, dum agebatur de potestate absolvendi à casibus occultis & reservatis, ut norant Sanch. in decal. l. c. n. 12. Suar. l. c. n. 10. Senlum illorum non inferunt, quòd Episcopus extra suam diœcesim existens non possit dispensare, sed potius contrarium, nimirum quòd existens extra diœcesim suam possit dispensare in

R. P. Leurr. Jur. Can. Lib. V.

qualibet irregularitate, & absolvere à quibuscunque cum subdito suo existente quoque extra suam diœcesim, quia jurisdictionem voluntariam ubilibet exercere potest.

6. Requiritur tertio: Ad dispensandum ab Episcopo in irregularitate ut ortum habeat ex delicto occulto, quale est, quod probari quidem potest testibus, ignoratur tamen à majore parte populi seu communitatis, ubi commissum est, v. g. à sex, dum in ea sunt decem. Quòd si tamen de delicto in una parte populi publico & notorio, in altera parte ignorato & probabiliter non sciendo seu publicando petatur absolutio vel dispensatio, posse Episcopum virtute Trid. absolvere, vel in irregularitate inde orta dispensare censent Sanch. l. 2. c. 11. n. 21. Avila p. 2. c. 7. d. 1. du. 11. concl. 3. eò quòd esse occultum, vel non esse occultum intelligi debeat in ordine ad locum, in quo petitur dispensatio, cujus contrarium Castrop. l. c. n. 10. censet probabilius, quia irregularitas dici non potest ex delicto occulto, cum, quod in una parte est publicum, absolute dici debeat publicum, ne aliàs vix inveniretur irregularitas, in qua Episcopus dispensare non possit, cum nulla sit irregularitas, quæ alicui ignota non sit. Multò magis requiritur, ut irregularitas non sit deducta ad forum contentiosum, etiam si dispensatio petatur in eo loco, ubi ad illud deducta non sit. Dicitur autem deducta ad forum contentiosum, dum delatum est Judici & delatio intimata parti seu hæc citata, imò si dicatur iudicium non incipere à citatione, sed à litis contestatione, ut tradunt Gl. in L. si is Rome. v. iudicium, & Gl. in C. relatum. de off. deleg. Decius & Alciat. in rub. de in jus vocando. poterit Episcopus, quamdiu lis contestata non est, absolvere ab irregularitate, Castrop. l. c. n. 11. quod idem poterit, postquam ad forum contentiosum irregularitas deducta, & irregularis ex defectu plenæ probationis, vel falsis probationibus absolutus fuit, ab instantia & observatione iudicii, etiam per sententiam interlocutoriam, maxime verò per sententiam definitivam, cum per utramque iudicium sit finitum, ita Henriq. l. 14. c. 20. n. 4. Sanch. de mat. l. 8. f. 34. à n. 17. Mol. de just. tr. 3. d. 79. n. 8. Filliuc. tr. 20. c. 10. n. 169. Bonac. Tom. 1. d. 7. q. 5. p. 1. num. 5. vers. dixi. & alii, quos citat & sequitur Castrop. l. c. n. 12. Item idem posse Episcopum, dum delictum integrè probatum, & reus condemnatus & punitus, docent Laym. L. 1. Sum. tr. 5. p. 5. c. 9. n. 6. Hurtad. diff. 20. n. 68. Sanch. Avil. Henriq. eò quòd jam satisfactum fini, ob quem Concil. negavit Episcopis facultatem absolvendi, qui fuit, ne reus absolveretur à delictis publicis eorumque pœnis, priusquam publico scandalo satisfieret, & ne autoritas iudicium minueretur, si pendente eorum iudicio reus absolveretur, quod etsi probabiliter dici censet Castrop. n. 13. probabilius tamen existimat contrarium cum Gut. L. 1. can. 99. c. 3. Garcia. de benef. p. 7. c. 11. n. 20. & Bonac. d. 7. q. 5. p. 1. n. 6. circa finem, eò quòd facta illa deductione integræque probatione & condemnatione delictum publicum sit & notorium notoreitate juris, in Trid. autem concessa non sit facultas dispensandi in irregularitate orta ex publico & notorio delicto.

7. Denique hic notanda sequentia; primò; quòd cum potestas hæc dispensandi ab irregularitate concessa sit Episcopis, & verba illa: *pro foro conscientie*: à Trid. apposta sint, dum loquitur de absolutione à casibus reservatis, & non, dum loquitur de dispensatione, ea non tantum pro foro conscientie, sed etiam pro foro externo servare debeat. Sanch.

Na

h. 2.

l. 2. in decal. c. 11. n. 12. Castrop. l. c. n. 14. Secundò: quòd, cum hæc potestas sit jurisdictionis voluntariæ, ut & absolutio, & jure ordinario competat Episcopis, sit ab illis delegabilis. *Majol. l. 2. de irreg. c. 2. in fine. Sanch. l. 8. de dispens. d. 3. n. 3. Suar. de cens. d. 41. f. 2. num. 15. Avil. p. 7. de irreg. d. 10. du. ult. Bonac. de irreg. d. 7. q. 5. p. 1. Castrop. n. 15.* Tertio: Quòd, si de pluribus irregularitatibus impetranda dispensatio, facienda necessariò mentio illarum, quæ sunt ex diverso delicto, quia auferri potest una sine altera, si verò irregularitates plures sint ejusdem rationis, V. G. ex pluribus celebrationibus in excommunicatione, necessarium sit exprimere eas in genere, non tamen singulas vices in particulari. *Henriq. l. 12. de mat. c. 10. n. 3. Sanch. de mar. d. 24. n. 7. Nav. c. 27. n. 32. Avil. l. c. du. 8. Castrop. n. 16. Suar. d. 44. f. 2. n. 28.* certum id esse dicens de irregularitatibus homicidii. *Quartò: Exceptionem à potestate seu privilegio dispensandi in privilegio concessio religionibus & Episcopo esse strictè interpretandam, v. g. si in privilegio excipiatur exceptio irregularitatis ex bigamia, non de similitudinaria bigamia, sed de propriè tali intelligendum est, Castrop. num. 17. cum Laym. l. c.* Quintò: Episcopum vel Prælatum conscium irregularitatis, in qua dispensare potest, si irregularem admitat ad Ordines vel beneficium, cenferi dispensare cum eo. *Sylv. v. irregularitas. q. 28. Majol. de irreg. l. 5. c. 51. num. 8. Suar. d. 41. f. 3. n. 4. Avil. l. c. du. 6. Sayr. l. 7. thes. c. 14. n. 11. Bonac. l. c. Castrop. n. 18.* quæ tamen tacita dispensatio facta à Prælo Papà inferiore non admittitur in foro externo, *Castrop. l. c. & apud hunc Suar. citans Abb. Felin. Jo-And. Nav. &c.* Sextò: Dispensatum etiam à Papa ad Ordines, non cenferi hoc ipso ad beneficia curata, dignitates & prælaturas. *Imola in c. postulasti. de rescript. num. 4. Felin. n. 10. Sa. v. dispensatio. n. 14. Sayr. l. 6. thes. c. 11. n. 12. Castrop. n. 19.* Item dispensatum ad Ordines, cenferi dispensatum ad solos Ordines minores, quia dispensatio strictè interpretanda, dispensatio facta initiato minoribus intelligenda est facta pro majoribus, ne sit inutilis & frustra, *Sanch. de mar. d. 1. n. 26. Castrop. n. 20.* Septimò: Episcopum concedentem dimissorias ad Ordines hoc ipso concedere facultatem, ut ab ordinante dispenseretur in irregularitate, ab óque impedimento impediendo susceptionem Ordinum, *Angel. v. irregularitas. n. 34. Sylv. ibid. q. 9. n. 11. in fine.* cum concessa facultate ad Ordines, concessa sint ea, sine quibus illi suscipi nequeunt. *Arg. c. præterea. de off. deleg. & l. 2. ff. de jurisdict. omn. jud. quod verum esse ait Castrop. n. 21.* si Episcopus dimittens sit conscius irregularitatis; secus, si sit ignarus impedimenti, eò quod esto dispensatio irregularitatis præmittenda sit susceptioni Ordinum, non tamen necessarium eam præmitti ab eo, qui Ordines ex delegatione collaturus est. Ita *Castrop. l. c. cum Sanch. l. 8. d. 1. n. 25.*

Quæst. 522. Privatio numerata inter pœnas ecclesiasticas quid sit, & qualiter incurratur quisque ejus effectus?

1. *Resp. ad primum:* Privatio hæc est pœna ecclesiastica, quæ quis ob delictum privatur beneficio dignitate vel officio ecclesiastico prius ritè obtento.

2. *Resp. ad secundum:* Incurritur vel ipso jure, dum nimirum à jure ita annexa est perpetrati crimini, ut eà completâ quamprimum sine facto,

citraque omnem Judicis sententiam beneficio, dignitate, officio exutus existat, aliquando ministerio seu per sententiam Judicis, dum nimirum est jure seu per leges decreta sit crimini, non tamen incurritur actu, priusquam ademptio per sententiam condemnatoriam sequatur, quæ reus non solum commisisse crimen declaretur, sed expressè irrogetur & insigatur, ita ut priusquam hæc accidat, beneficium ab alio impetrari nequeat, neque à reo resignari possit, qui etiam fructus ante hanc sententiam fecit suos, post eam restituere non teneatur. *Covar. p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 8. n. 8. Laym. l. 4. tr. 2. c. 17. num. 2. Pirh. ad tit. de concess. præb. num. 27.*

3. *Resp. ad tertium:* Privationis ipso jure inducæ effectus notabiles sunt sequentes; primò: quòd ipso criminis perpetrati facto amittatur titulus & proprietates beneficii, ita ut illud vacet, & tanquam tale impetrari possit ab alio, *Arg. c. licet. de præb. & dignit. in 6.* Secundò: quòd ab ipso commissi criminis die proventus beneficii non faciat suos, & à tunc perceptos restituere teneatur. *Extrav. cum de restabile. 2. inter comm. de Simon.* Tertio: Quòd sic privatus beneficio illud amplius permutare aut in favorem resignare non possit. *Quartò:* Quòd si sic privatus moriatur non tanquam per obitum, sed tanquam ex delicto vacans beneficium impetrari possit, eò quòd titulus & proprietates illius jam ante obitum fuerit amissa. *Azor. p. 2. inst. mor. l. 7. c. 17. q. 2. Barb. de off. Epif. Alleg. 67. à num. 253.* Non tamen possessionem beneficii statim dimittere teneatur reus, sed in ea perseverare possit, donec super beneficii & fructuum retentione impetret dispensationem, vel à competente Judice per sententiam declaretur reus criminis, cui annexa privatio, ut *Covar. l. c. Felin. in c. Rodolphus de rescript. n. 38. Sotus l. 2. de just. q. 6. a. 5. Gut. l. 2. qq. can. c. 5. n. 28. Azor. l. c. q. 3. Piafec. pr. epif. p. 2. c. 4. a. 14. n. 18.* Cætera de hac privationis pœna accuratè tractata invenies in *meo foro benefic. parte 3. locis designatis in indice dictæ part. v. privatio.*

Quæst. 523. Depositio quid & quotuplex sit?

1. *Resp. ad primum:* Depositio, de qua hic est pœna ecclesiastica, quæ clericis removetur perpetuò & ex jure ordinario irremissibiliter à beneficio, officio, ab ordine puta Clericali, Sacerdotali, Episcopali, non quidem quò ad characterem, quia hic inamissibilis seu indelebilis, sed quò ad exercitium, seu executionem illius, v. g. ministracionem solennem in ordine Subdiaconi & Diaconi, celebrationem, absolutionem Sacramentalem, collationem Ordinum à beneficio, v. g. à parochia ejusque administratione, perceptione fructuum, non tamen à titulo seu proprietate illius, unde patet, eam vix differre à suspensione perpetua, cum nec illa privet proprietate, sed solum administratione, *Castrop. tr. 29. d. 4. p. ult. n. 1.* quamvis, ut Idem cum *Abb. in c. veritatis de dolo & consummac. n. 3. Suar. de cens. d. 30. f. 1. à n. 4. Laym. l. 1. sum. tr. 5. p. 3. c. 5. n. 2. & 3.* depositus ipso beneficio privandus veniat, & ferè semper eo privetur, quia privatur in perpetuum officio, ratione cujus beneficium conceditur, & nemo beneficium habere debeat, qui ejus fructuum perceptione & administratione perpetuò est interdicitus. Unde non immeritò *Abb. depositionem* quandoque vocat privationem beneficii, quoniam & ubi in jure quis jubetur deponi à solo officio, nullâ factâ mentione de beneficio, cui officium